



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

7. De beneficio glorificationis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

flammando: cumque filialis fiducia & amoris affectum tibi impertiendo, ut cum regio Propheta dicere audeas: *Psal. 72. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in caelo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum?* Et cum D. Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Gratitude, amor, filialis confidentia, & constans feruor proficiendi usque ad mortem.

VII.

De Beneficio Glorificationis.

I. **E**Xpende, quàm incomprehensibili aeternae dilectionis affectu Deus te, præ tot alijs, non modò ab aeterno ad inestimabiles diuitiarum ac deliciarum gloriae ac beatitudinis suae thesauros secum participandos praedestinarit; sed omnia etiam hucusque recensita beneficia tam generalia, quàm specialia in eundem finem tibi contulerit, nunc conferat, ac porro conferre paratus sit.

En quanto paratior est Deus suam tecum quantumuis indigno communicare gloriam, & quidem aeternum in caelis, quàm tu paratior sis eiusdem,

dem, pro modulo tuo, promouere gloriam, & quidem exiguo tempore, in terris! admiratio diuinæ liberalitatis, gratitudo, zelus Deum perfectius amandi, & glorificandi, per feruens studium perfectionis, in se alijsque promouendæ.

II. Quàm paratus sit Deus animæ tuæ è corpore migraturæ, si in hac vita contractas peccatorum maculas, quoad culpam & pœnam plenè expiarit, quamprimùm impertiri beatitudinem essentialem, quæ in beatifica visione, amore & fruitione Dei consistit, & quidem in excellenti gradu, cum alijs accidentalibus gaudijs, & extraordinarijs aureolis secundum mensuram tuorum meritorum. Et quàm arden-ter desideret te feruentiore studio omnimodæ perfectionis sublimiorem gloriam promereri, eamq; statim post mortem, absque purgatorio indipisci. Si hoc, vt par est, profundè expenderes, & crebriùs memoriâ versares, quanto feruentior esses in leuissimis etiam maculis eluendis, ac deinceps cauendis, in assiduo conatu, in sanctitate & gratiâ proficiendi? Affectus ijdem ferè repetendi.

III. Quàm demùm paratus sit Deus

etiam corpori tuo, si strenuè se in hac
vita diuino eius impenderit obsequio,
rectæque rationis obsecundarit impe-
tio, in communi resurrectione iusto-
rum conferre dotes gloriosi corporis,
peculiaresque omnium sensuum oble-
stationes; & quidem eximias, exa-
mussim meritis tuis responsuras. Et
quàm auidè cupiat, vt carnem tuam
cum vitijs & concupiscentijs virilius
crucifigendo, plura & grauiora amore
eius faciendo, & tolerando sublimio-
rem corporis quoque gloriam prome-
rearis. Quid intuitu huius gloriæ ni-
mis laboriosum, durum, asperumve
videri posset, nisi amor proprius oeu-
los mentis exœcicaret? Gratitude, fer-
uor corpus mortificandi, multum a-
more Dei laborandi.

4. Heb-
dom.
post
Pascha.
I.

Dominica I V. post Pascha.

De promissione Spiritus sancti, eius-
que officijs.

Vado ad eum qui misit me. Ioan. 16.

I. **E**Xpende, quàm paternè Christus
discipulos suos tristes ex prædi-
catio-